

QUÆSTIO MEDICA,



Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18 Januarii 1720.

M. LUDOVICO DE SANTEUL, Doctore Medico, Præside.

Morbi ne indicant naturæ mechanismum?

I.

NATURALIS Corporis non tantùm ; sed & Totius Physici miranda profectò phœnomena ; Quotquot sunt, totidem illorum in semetipsa vicissim agentium effectus. Hujusce reciprocæ actionis causam inquirere, multorum labor, invenisse paucorum merces. Primæ qualitates, forma substantialis, materia subtilis, striata, globosa, sales diversi generis, vela quibus jam satìs arcana absconditur natura ; hæc explicant effectus, ipsa verò ab effectibus non demonstrantur ; Externorum in corporibus diligens inspectio, Major eorum quæ ob faciliorem notitiam spernuntur indagatio; si solitariè spectentur, si cum aliis juncta considerentur, diversarum in utroque statu relationum scientia, viæ ad causam inveniendam certiores. Limus sæpissimè thesaurum indicat. Vir verè Physicus ille est, qui causam generaliorem affert, ita ut omnibus corporibus quæ cognoscere potest, conveniat. Hanc causam ab aliis pendere non probat, supponit, supponendo negligit. Ad morborum curationem necessariam esse principiorum hactenùs fictorum cognitionem, igne torquendam omnium medicamentorum analysim, partis structuram usque ad minima componentia callendam esse ; Hæc non tam plebis, quam sciolorum opiniones, iisque faventia medicastrorum dogmata. Quidquid rimatur physica vel corpus humanum intus afficit, vel extus. Quæcunque existunt corporea, si non omnia propter hominem facta, saltem pleraque ad ipsius usum adhibita. Horum omnia externa, illorum interna corpus efformantia ; externa modò sanitatem conservantia, modò destruentia, nomine rerum non naturalium dignoscuntur. Corpus humanum lapis physicæ lydius, quo pro variis occasione entium externorum in semetipso affectionibus, quid universalius functiones pariat innotescit, & vicissim corporum afficientium longâ & repetitâ observatione natura detegitur.

II.

UNA eademque est in morbo ac in sanitate natura. Non differt uterque status, distinguitur tantùm per effectus in statu sano vix sensi-

les, magis in morboſo conſpicuos. Magna duræ meningis in omnes corporis partes potentia, judicatur ex febribus, vomitu, hæmorrhagiis, aliiſque ſymptomatibus capitis vulnera vulgò concomitantibus. Erumpit infans ex utero matris, non tam meconii irritamento, urinæ-ve in veſicâ gravitantis mole, quam ex ſanguine ſuperfluo pulmonis aditum nequicquam affectante; patet ex pulmonum morbis in quibus ægrotantes præ nimiâ reſpirandi difficultate ad lecti pedes provolvuntur, aut in eodem ægrè continentur. Alimenta nullo acido in chylum converti plurimis evincitur argumentis, unum inſtar mille eſt, ructus acidus lienteriæ, dyſenteriæ-ve ſuperveniens, bonum. Nullarum glandularum ope ſecretiones fiunt, cuilibet ſufficit fluidorum indeſinens impulſus, innuit & vulnus & vulneris curatio. Quomodo contrahatur muſculus, explicatu difficile. Huic functioni inſervit cruoris pars quædam intra toros intercepta, majori ipſorum niſu, ſanguinis copiæ accedenti negantes aditum: Illam mechanicam declarant glandularum circa partes organicas præſentia, laſſitudines ex nimio labore, pulsûs intenſio, croceus urinarum color, ſanguinis tunc per os, tunc per nares, aliquando per urethram ejectiones, violentorum exercitiorum ſuccedaneæ. Ad organorum motum requiritur juſta liquorum quantitas, præſens indè & efficax adeo difficulter parienti venæſectio, indè à repletione vel ab inanitione convulſiones, ex aneuriſmate, varice, & abſceſſu paralyſes, ſpaſmi infantum, quibus erumpunt dentes, alvo crebriùs demittente rariores. In minimis cruorem componentibus apta poſtulatur figura, hinc lue venereâ ſcorbuto-ve laborantes difficilè moventur.

III.

LATET alter in ſanitate mechaniſmus intricatus magis, nec minùs morbis eluceſcens. Duplex eſt; ſpecialis ſcilicet fibrarum textura & ſingularis partium liquidi diſpoſitio; index utriuſque affectuum contra naturalium quoad cauſas cognitio, eorumdemque apta & prudens curandorum methodus. Fluida & ſolida non admodum diſcrepant, hinc ex unius conſpectu quaſi certum de altero judicium, frequentior indè in arteriis circa cor potiſſimùm polypoſarum vaſcula æmulantium concretionum productio. Pars una in corpore fibrilla. Artificiosè cum aliis ſui planè, ſimilibus juncta diverſa efficit organa, Eadem per canales directa plùs minùs-ve ſubacta varios procreat humores. Ab unione quidam in ſolidis rigiditatis flexilitatis modus, certum proindè Elaterium. A diviſione in fluidis peculiaris contactus, lubricitas, ſoliditas, undè determinata ipſorum Reſiſtentia. Hæ dotes in utriſque magis vel minùs ſemper excedunt, ſed modò reciprocè, Temperamentorum indè diſcrimina, modò minimè reciprocè, hinc Morborum caterva. Temperamentum prima ad morbum diſpoſitio: finitur propria quædam partium retinentia in res non naturales, cibos imprimis quorum Unicuique materies, copia, præparatio vulgò peculiaris. Morbus vitiata nutritio; ſola nutritiuntur ſolida; ſola idcircò morbis afficiuntur. Ut morborum ſic functionum diverſitas à loco repetenda. Ex fibrarum elatere, proportionatoque liquidorum pondere naſcitur motus æqualis, omnium

functionum opifex. Ubi villotum laxitas, major-ve tensio, ibi roboris vel defectus vel excessus, at in quocunque casu communis motûs imminutio. Ubi fibratum crispatura & erethismus, ibi motûs incrementum in solidis tantum. Hæ sunt omnium morborum causæ, ab iisque potissimum in curando desumendæ indicationes.

IV.

VETERIBUS major quàm Recentioribus quoad praxim Medicam adhibenda fides; an quia apud illos major solidorum quàm fluidorum ratio! Nonnulla humoribus virtus, condimenti medicamentive vices gerunt. Diœtâ, Chirurgiâ, & Pharmaciâ curantur morbi. Horumce auxiliorum nullum diœtâ præsentius. Sola plurimos sanat morbos, sic plerique infantum morbi, febres quartanæ, vernales & præsertim autumnales, aliique chronici affectus efficacioribus remediis rebelles, naturali diœtæ mutationi cedunt; Si diutiùs perseverant, arguendus adhibitorum antea pharmacorum usus. Diœta sub se plures continet Remediorum species. Vis omnium merè mechanica. Premit aër, stimulant animi pathemata, excitant diversæ motuum species, laxat & emollit balneum si calidum, roborat si frigidum. Solidis evidentiùs debetur ars chirurgica; ad sanandum quæcunque admovet, eadem immediatè parti laboranti applicat, ipsius indè securitas. Integris sanisque partibus, læsum ubi tollitur organum, felix sæpe sæpiùs operatio; periculosa saltem dubia si totum corpus primariò aut deuteropathicè laboret. In lithotomia spes à statu vesicæ, nimis corrugata mortem minatur. Chirurgum commendat in inchoando opere dexteritas, multo magis in perficiendo sagacitas. Morbum majorem minori debellare Chirurgiæ finis; ne priore pejorem inferat, cavet peritus Artifex. Quos morbos Chirurgia spectat ad vulnerum curationem referuntur singuli. Nocent vulnerum curationi labiorum inflammatio, callus, gangrena, nimia saniei aut puris copia, totidem fibrarum rigidiorum flexiliorum-ve vitia. Demonstrant iisdem emendandis tollendisque adeò utilia venæ sectio, scarificatus, embrocatio, diligens aëris fuga, rara idcircò vulnerum curatio, parcus turundarum, penicillorum, unguentorum usus, spirituosorum in antiqua vulnera liquorum tinctus vel injectio, lintea modò continentia tantùm, modò comprimentia. Quæ circà istorum Remediorum applicationem dantur præcepta, sunt totidem in fibris excedentis vel deficientis roboris argumenta.

V.

PRIMARIAS morborum causas debellaturo, jam notus fons auxiliorum uberrimus. Foret ipse earumdem sicut & secundariarum rarus victor, nisi & suas opes funderet Pharmacia. Solidis propriæ Diœta & Chirurgia, has & partes respicit Pharmacia, minimè neglecto fluentium genere. Ex simplicibus & compositis crevit ingens medicaminum numerus. Pauca, experientiæ dona; Plura, novitatis, mysterii, farraginis & mendacii partus. Sapienti Medico curta Remediorum supellex Una functio pluribus aliis inservit, unum Remedium plures & diversos producit effectus. Specifica sæpe medicamenta venæ-sectio & catharsis,

modò hæc, modò illa impeditæ transpirationi, quibus casibus præstet altera? Res inquirenda Medico. Naturæ motus sequitur Sanguinis missio, ipsis imperat Purgatio. Rara, præceps, periculosa, purgandi occasio, illam aucupanti necessaria proinde vigilantia, celeritas, & prudentia. In benignis morbis multos trucidavit præposterus catharticorum usus, Complures in malignis occidit eorumdem neglecta nimiùm-ve dilata propinatio. Non tam in evacuandis humoribus prosunt purgantia, quam in mutandis villorum occillationibus. Ex alterantibus plurima in fibras, quædam in humores, nonnulla in utrasque corporis partes agunt. Diluentibus prima laus esto: ast unicuique ægrotanti definienda illorum quantitas. Omnium Medicamentorum si non à solidis virtus, saltem ab iis pendet exitus. Major indè judicatur solidorum quam fluidorum potentia. Hæc, prima, curantis indicatio, potens corporis tyrannus, verus naturæ mechanismus; silet ille, viget sanitas; sentitur, nascitur morbus.

Ergo morbi indicant naturæ mechanismum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus-Benignus Vinslow, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.	*M. Gabriel-Antonius Jacques.*	*M. Franciscus Aignan.*
M. Ludovicus Guillot.	*M. Claudius de la Vigne de Frecheville.*	*M. Jacobus Fourneau, Chirurgiæ Professor.*
M. Josephus de la Grive.	*M. Joannes-Damianus Chevalier.*	*M. Michael-Ludovicus Reneaume de la Garanne, Chirurgiæ vernaculo idiomate scriptæ Professor, necnon Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-SIMON EMMEREZ, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1720. à sexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.